FLORES DE SANCTIS ET DE TEMPORE

Raum Brixen (Neustift ?), Mitte 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35453
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

tenebre in mundo quia homo nec deum
nec se ipsum cognoscere potest. Et ideo
Christus conqueritur in ewangelio: Pater iuste
mundus te non cognovit. Legitur
in Exodo quod tenebre facte sunt
in universa terra, ubicumque habitabant
filii Ysrahel ibi erat lux. Egyp-
tus interpretatur tenebre et significat mun-
dum in quo sunt horribiles tenebre
et multi involuti tenebris huius mundi
errant et vadunt ad infernum. Sed
in celo ubi habitant filii Ysrahel idest
sancti qui vident deum facie ad fa-
ciem ibi est cognitio vera et lux
perpetua. Pete ergo de tenebris huius
mundi duci ad regnum celorum. Secundo
sunt in mundo dolores multiplices
afflictionis. Unde Job: Numquid ego
sum mare aut cetus quia circumdedisti
me carcere, quasi diceret: Tot sunt dolores
in mundo quod si essem ita magnus
sicut cetus vel sicut mare, ergo de-
ficerem pre miseriis huius mundi.
Nulla est stabilitas huius mundi
nunc dolet homo oculos nunc dentes etc.
et mirum est quod homo umquam letatur
inter tot miserias huius mundi.
Nunc homo peccator qui gaudet in
hoc mundo similis est frenetico qui
iacet in gravissimo febre et
ridet. Bonus vero homo qui considerat
miserias huius mundi potius tristatur
quam quod gaudet et desiderat veni-
re ad celum ubi sunt vera gau-
dia. Ideo dicit Christus: Mundus
quidem gaudebit, vos autem contrista-
bimini, sed tristicia vestra etc. Tercio est

in mundo vicinitas mortis. Unde
quilibet homo debet mortem timere
exemplo Christi, qui licet sit rex celi
et terre, in tantum timuit mortem quod
sanguineas guttas sudavit. Immo
in tantum timuit mortem quod angelus
de celo missus fuit ad confortandum
humanitatem eius. Timuit ergo mor-
tem per quam debuit venire ad
celum, et tu non times? Ille autem dixit:
Tristis est anima mea etc. Sed tu gau-
des et exultas in vita tua. Tu
non times mortem, et viri sanctissimi
timuerunt mortem. Paulus qui
fuit vas electionis timuit mortem,
et Petrus tamen timuit mortem quod cum
omnibus discipulis fugit a Christo. Unde
mors cuidam animali comparatur quod lazam
dicitur, quod tante est ferocitatis
quod etiam leonem terret et omnia anima-
lia. Sic et mors leonem fortissimum
Christum et omnia alia scilicet sanctos et homines
bonos terret. Unde legitur de sancto
Antonio qui sanctus fuit, quod cum
debebat mori venit ad eum angelus
et ait: Esto paratus quia mori de-
bes. Quod cum iste audiret petiit
ab angelo dilationem. Cui angelus:
Ut quid peccata times, scio tibi omnia
peccata tua dimissa. Cui ille: Homo
tu nescis utrum deus unum peccatum
dimittat, et tu non times mortem
nec ad eam te disponis. Et quia
ita vicina est homini mors in hoc
mundo, ideo debet eam timere ex-
emplo Christi et etiam sanctorum